



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibus

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnivm Tractatvs II. De Opere Sex
Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

Elenchvs Capitvm Libri Secvndi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)

eo per illam causarum naturalium carentiam optimè declaratum est, modum illum germinandi ex peculiari efficacia auctoris nature, non ex ordinarijs naturalibus causis fuisse.

15. Secunda ergo & communis expositio est, in illa recapitulatione capitis secundi particulam, in die, qua creauit Deus, non designare vnum certum diē: sed indefinitè sumi pro quocunque die, in quo aliquod ex illis operibus factum sit: siue ille dies fuerit idem siue diuersus, siue vnus, siue plures. Frequens enim est in Scriptura sacra, vt singulare pro plurali ponatur: & in modo loquendi satis vñtato res diuersis temporibus factæ breuitatis causa solent sub vna singulari voce temporali comprehendī: vt si quis dicat, die natiuitatis Christi, Virginis, aut Ioannis Baptiste sit hoc vel illud, nō significat, in vno, & eodem die id fieri, sed subintelligitur virtualis repetitio, in die natalis Christi, in die natiuitatis Virginis, &c. Sic ergo subintelligi potest in dictis verbis. Adde tamen, vñtatum esse in Scriptura, vt dies pro indefinito tempore ponatur, vt Ioan. 8. Abraham exultauit, vt videret diem meum id est, tempus mei aduentus. Et Isa. 49. & 2. Cor. 6. Tempore accepto exaudiuit te, & in die salutis audiuere. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, Deuter. 32. Iuxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora. Ita ergo accipi debet, vel potest in citato loco, vt Beda, & alij voluerunt.

16. Neque obstat, si quis obijciat, inconueniens esse, in voce illa dies æquiuocationem, aut metaphoram admittere, præsertim in tam breui contextu. Nam respondemus, nullam esse metaphoram, nec æquiuocationem propriam, sed varium vñum vocis intra propriam significationem eius, qui vñtatisimus est. Nam dies desē non est vox singularis ad vnum diem tantum significandum determinata: sed est vox communis & indifferēs, quæ aliter sumitur, quando cum aliqua determinatione ponitur, vt dies vnus, dies primus, secundus, aut septimus: aliter verò quando absolute &

indefinitè ponitur, & tunc ex circumstantijs, & materia sermonis potest nunc ad singularem diem, nunc ad indefinitum tempus, vel diem, vel etiam ad plures dies cum aliqua accommoda partitione significandos determinari. Et ita in toto cap. & 2. Genes. vbi sumitur pro singulari die, cum aliqua determinatione ponitur indefinitè quocunque diem, & plures significat, vt cum dicitur in cap. 1. Appellauitque lucem diem, & infra, Fiant luminaria, & diuidant diem, ac noctem, & iterum: Pospo Deus luminare in ius, vt præstet diem, &c. In quibus omnibus locis pro quocunque die indifferenter vox illa sumitur, quia proprietates ibi indicata in omnibus inueniuntur. Sic ergo in cap. 2. prius est sermo de singulari die cum additione septimi diei. Postea verò cum generatim sit sermo de operibus illorum dierum, indefinitè dicitur: In die quo fecit Deus. &c. vt indicetur sermonem esse indefinitum de tempore illorum quo factus, & formatus est mundus, vel de quocunque illorum dierum, in quibus Deus operatus est ante septimum diem. Nec mirum est, quod Moyses, cum summam operum recapitulet, dies etiam, in quibus facta sunt, vno etiam diei nomine comprehendat. Adde tandem duplicem aliam significationem nomine diei in dicto cap. 1. Genes. indicari, scilicet, artificialis, in quibus ab ortu Solis vsque ad eius occasum durat, & naturalis, qui integra reuolutione Solis constituitur. Prior enim significatio indicatur in illis verbis: Appellauitque lucem diem, & ibi, Vt diuidant diem, ac noctem, & ibi, Luminare maius, vt præstet diem. Altera verò ibi, Factumque est vñsper, & mane dus vnus. Nam quia tempus lucis & præsentie Solis est pars præcipua integri diei naturalis, ideo integer cursus Solis à præcipua parte dies appellatus est, vel certe quia Sol vbicumque adest, diem facit, & nox quæ per accidens ex absentia eius sequitur. Et vtique significatio propria est, licet ex circumstantia literæ sit determinanda: sic ergo de vñu eiusdem vocis in alijs significationibus censendum est.

E L E N C H V S

CAPITV M LIBRI SECVNDI

- Cap. I. **A**N lux primo die creata spiritualis, vel sensibilis fuerit.
 II. *Quæ fuerit sensibilis lux primo die creata.*
 III. *Duo dubia de loco, & tempore, in quibus prima lux incepit, expeditur.*
 IV. *Quæ fuerit aquarum diuisio secundo die facta.*
 V. *Quòdnam corpus fuerit firmamentum secundo die factum, & quomodo ad diuidendas aquas ab aquis firmatum, seu positum sit.*
 VI. *Quomodo tertio die aquæ in locum vnum congregatæ fuerint, & apparuerit terra.*
 VII. *Quomodo herba virens, & cetera vegetabilia hoc die fuerint producta.*
 VIII. *Quomodo sol, & luna ceteriq; planeta, & stelle quarto die productæ fuerint.*
 IX. *Quomodo per solos motus proprios calorum sufficienter explicentur omnia quæ hoc die facta narrantur.*
 X. *De brutorum creatione, quinto & sexto die facta.*
 XI. *Quomodo Deus opus suum die septimo complenerit, & ab illo cessauerit, eundemque diem benedixerit.*